



TOM



~~1733~~

W. Stuber

W. Stuber



4

DISSERTATIONUM
LOGICARUM
UNDECIMA,
De
ENUNCIATIONE
IN GENERE,
EUSQUE SPECIEBUS
CATEGORICA ET COM-
POSITA,

Quam
DEO VOLENTE,
Consentiente Amplissimo ac Spectatissimo
COLLEGIO PHILOSOPHICO,
PRÆSIDE
M. CHRISTOPHORO HEIN-
RICO Løber/Vinariâ-Thuringo,
Eruditorum examini

submittit
JOHANNES Probst/ Brunsvigâ-Saxo.

Ad d. 9 Februarii.
Horis antemeridianis.

T 173

JENÆ
Typis JOHANNIS NISII, ANNO
M. DC. LVI

Nobilissimo, perquam Reverendis, Excellentissimis, Experientissimis, Consultissimis, Doctissimis, Spectatissimisq;

V I R I S

Dn. A N D R E Æ Probst/ Medicinæ Lic. Brandenburgensi Archiatro, civitatis Salquellensis Practico celeberrimo, Fratri suo fraterne amando.

Dn. JOHANNI GROTIAN, Ecclesiæ Ulricanæ apud Brunsvicenses p. t. Pastori meritissimo, filialiter colendo.

Dn. BARTHOLDO COTHENIO, Ecclesiæ B. M. virginis Brunsvigæ p. t. Pastori Vigilantissimo, & Affini meo plurimum observando.

Dn. FRANCISCO Bølscherling/ S. Magni Ecclesiæ p. t. Pastori Vigilantissimo Affini meo admodum observando.

Dn. HENRICO Steinhausen/ Ecclesiæ Ulricanæ p. t. Pastori Vigilantissimo fautori meo magno.

Dn. ADRIANO Becker/ Medicinæ Cand. practico Halberstadii spectatissimo, Affini suo non intransitu colendo.

Dn. HENNINGO Mertens/ Reip. Saccanæ apud Brunsvicenses Camerario dignissimo, Ecclesiæ Ulricanæ provisorii, susceptori suo merito honorando.

aque ac

Reliquis Dominis Ecclesiæ Ulricanæ provisoribus, Evergetis meis seculum obsequendis,

Dominis Mecanatibus, Patronis, Promotoribus ac Fautoribus meis, ut magnis, obsequioso officiorum cultu, humilique observantia aviter colendis,

Exercitium hoc Academicum

in obedientia & reverentia, amoris & honoris signum humilime dedicat & offert

Respondens

JOHANNES Probst/ Brunopolitanus Saxo.



I. N. D.

DISSERTATIONUM LOGICARUM XI.

De

ENUNCIATIONE IN GENERE,

EJUSQUE SPECIEBUS
CATEGORICA ET COMPOSITA.

Respond.

JOHANNES Probst / Brunsvigâ - Saxo.

§. 1.

DE enunciatione ordine poscente tractaturi, si pauca de
ejus synonymis præmittamus, non abs re fore confi-
dimus. Vocatur itaque ab *Aristotele l. de interp. c. 4.* &
passim alibi λόγος ἀποφαντικός. c. 5. §. 6. & alibi ἀπόφασις.
In libro 1. prior. vero passim adhibetur vox ἀποφαντικῆς, de quâ,
num ex mente *Aristotelis* jam adductis æquipolleat, dubiū est.
Sanè *Arniseus in not. ad Crell. part. comm. l. 2. c. 2. l. β.* dicit, hoc
vocabulum respectivum esse, quod pronunciato ad syllogi-
smum applicato demum, & nequaquam absolutè conveniat.
Quâ tamen in parte ipsi non adstipulamur, propterea quod de-
finitio ἀποφαντικῆς, quam c. l. §. 4. adducit: ἀποφαντικῆς est oratio af-
firmans vel negans aliquid de aliquo, omni enunciationi catego-
ricæ sive in syllogismo sit, sive extra eum, competit. Interim
tamen, quia adducta definitio Categoricæ competit, non ta-
men omni compositæ, ideò ἀποφαντικῆς ex mente *Aristotelis* enun-
ciationis synonymum non esse, rectè dici videtur: quæ etiam
est sententia *Crellii c. l.*

§. 2. Scriptores Latini enunciationem frequenter vocant:
pronunciatum, propositionem, enunciatum, axioma &c. quamvis
num rectè, lis sit. *Jacobus Zabarella com. ad 1. post. t. 13. p. m. 669.*
statuit vocē propositionis nō posse omni enunciationi tribui.
*Quisquis conclusionem, inquit, propositionem vocat, non rectè lo-
quitur, quia propositio dicitur tanquam proposita conclusioni.* At
quis

N

quis



quis non videt argumentum ejus, utpote ab Etymologia peti-
tum elumbe esse? Sanè si etymologiis res agenda esset, dicere
possemus, propositionem à *proponendo* dici, eo quod eâ sensa a-
nimi proponamus: quæ etymologia omni competit enuncia-
tioni. Patet proinde nondum monstratum esse inconveniens,
quod eos premat, qui propositionem pro enunciationis syno-
nymo habent. Quamvis id negari non possit, vocem hanc non
ab omnibus ubique in hâc adhiberi latitudine. Etenim inter-
dum etiam tam strictè usurpatur, ut solas præmissas, interdum
ut solam syllogismi majorem notet, ceu ex autorum lectione
patet.

§. 3. Deinde quod attinet vocem *axiomatis*, græca ea est, &
significat aliàs honorem & dignitatem: *Aristoteles* verò eâ in-
digitat principia maximè evidentia, quæ cognita esse debent
discipulo, antequam ad Præceptorem accedat; eò quod pro-
pter suam evidentiam digna sunt, ut ab omnibus admittantur.
Ramus autem, quem non pauci sequuntur, hoc vocabulum fa-
ciunt synonymum enunciationis: quam quidem ab rem non
pauci stomachantur, cum tamen hoc ipse non fecerit propriâ
auctoritate. Testantibus enim Lexicographis hoc vocabulo
ita usus est *Cicero* & *Gellius*; imò *B. Scheiblerus Part. Op. Log. 3.*
c. 1. n. 3. ait, hanc significationem *Budaum* ostendere ex ipso
Aristotele, Alexandro, Donato &c. nec vocis etymologiam ipsi
discrepare: descendere enim ἀξιωμα ab ἀξιάζει, quod non
semper *dignari*, sed etiam quandoque *δοξάζειν* vel *δογματίζειν*
vel *ὑποθέσθαι*, *existimari, opinari, supponere*, teste *Budæo*, signi-
ficet.

§. 4. Sed hæc de nomine sufficient. Enunciationis apud
Aristotelem talem definitionem reperimus *l. de interp. c. 4. §. 5.*
Ἀποφαντικός ἐστὶ λόγος ἐν ᾧ ἀληθὲς ἢ ψεῦδες ὑπάρχει, i. e.
Enunciatio est oratio, in quâ verum vel falsum inest.

§. 5. Genus est *oratio*. Ex quo, ut hoc obiter adjiciamus,
statim apparet, quid respondendum sit, ad eam quæstionem:
an

an voces si materialiter accipiantur, velut: *homo*, in hac enun-
ciatione: *homo est tertia declinationis*, sint partes enunciatio-
nis? Cùm enim orationis partes significant, & verò vox ma-
terialiter accepta nihil significet, sed pro se ipsâ supponatur,
quæstionem negandam esse, luce meridianâ clarius apparet.
Patet exinde quantum errorem erraverit *Mendoza disp. sum. 1.*
sect. 2. §. 7. dum in hac enunciatione: *Petrus est albus*, est enun-
ciatio, ly *Petrus est albus*, subjectum esse scribit. Nam hæc to-
ta enunciatio: *Petrus est albus*, h. l. pro se ipsâ accipitur: unde
enunciationis adductæ pars esse nequit. Sed hæc de re alibi,
DEO volente, fusius.

§. 6. Dicitur: *in qua verum vel falsum inest*. Ubi *in*
esse non strictè pro physicâ inhærentiâ capi debet, sed pro qua-
licunque convenientiâ: id quod etiam indicat *Pacius*, dum *A-*
ristotelis definitionem ita vertit: *enunciatio est cui verum vel*
falsum dicere convenit. Unde, qui diceret: enunciationem es-
se orationem quæ vera est vel falsa; à nostra diversum non di-
ceret.

§. 7. Sed hîc quærat aliquis non immeritò: quomodo
verum & falsum enunciationi competat? *Colonienses in ad P.*
Hisp. tract. 1. fol. 13. dicunt, eam esse veram *extrinsecè* tantùm
& *significativè*, quatenus significat veritatem mentalem. Illu-
strant hoc exemplo sanitatis, & sicut urina sana denominetur à
sanitate animalis, quam indicat, ita etiam enunciationem ve-
ram dici non ab intrinsecâ, sed tantùm veritate conceptus, cu-
jus signum sit. Ita quoque *Ruvio l. 1. de interp. c. 4. q. 3. §. 33.* Quo
etiam digitum videtur intendere cum aliis *Svarez disp. Met. 8.*
in proæm. triplicem faciens veritatem, *in essendo*, quam rebus
tribuit; *in cognoscendo*, quam dicit esse in intellectu res cogno-
scente; & *in significando*, quam in vocibus reperiri ait.

§. 8. A quâ tamen sententia nos meritò recedimus. Si
enim verum de conceptu & enunciatione eo modo diceretur,
quo sanum de animali & urinâ, sequeretur sicut hoc respectu a-

nimalis & uinæ, ita verū respectu enunciationis & conceptus esse æquiuocum: quod tamen manifestè falsum est. Patet hoc, quia ratio veri non solum conceptui intellectus, sed etiam enunciationi ipsi competit. Quicquid enim dicit rem esse quæ est, vel non esse quæ non est, ipsi ratio formalis veri competit. At enunciatio vera dicit vel rem esse quæ est, vel non esse, quæ non est. E. enunciationi veræ formalis ratio veri competit. Minor probatione ferè non indiget. Ita v. g. hæc propositio: *ignis est calidus*, dicit rem esse, quæ est, etiam sublato omni intellectus conceptu: & ita in reliquis. Major est veri definitio *V. Met. c. 7. t. 27. Verum*, inquit *Aristoteles*, *est dicere id quod est, esse, aut, quod non est, non esse. Dicere id, quod est, non esse, aut quod non est, esse falsum est.* Satis ergò patet etiam enunciationem intrinsecè veram esse: idem est de falso iudicium, quod sc. & istud enunciationem intrinsecè denominet. Addatur *B. Dn. Stahl. Tab. Met. 22. & in discurs. super eam p. 88.*

§. 9. Hoc verò addendum, quod verum non omni enunciationi veræ, nec falsum omni enunciationi falsæ immutabiliter insit, sed ex verâ falsa & contrâ fieri possit, ut expressè docet *Arist. c. 5. Cat. §. 22.* nam v. g. hæc vera est: *Petrus sedet*, si sedet; falsa autem, quando surrexit. Unde dicunt, veritatem & falsitatem esse *qualitates enunciationis accidentales*, quia sc. de enunciatione verum & falsum in quale accidentale prædicantur, & mutabiliter sæpè enunciationibus conveniunt. Hinc etiam quam adduximus, enunciationis definitionem non strictè dictam, sed descriptivam tantum esse consequitur. Adde *Anton. Ruw. cit. loc.*

§. 10. Sed contra nos urgeri potest, I. quod quædam propositio sit vera & falsa. E. non omnis erit vera vel falsa. Antecedens probatur, quia v. g. hæc enunciatio: *homo est lapis*, est falsa; est etiam vera, quia est ens, omne autem ens verum est. II. quod definitio enunciationis competat etiam orationibus non enunciativis. Quod *Sluterus in Anatomia Logica Aristotelæ*

*leal. s. c. 3. §. 35. & 36. duplici argumento probare nititur. 1. ait
 has: ne sis contumax, non occidito, Titius meus haeres esto, quæ ta-
 men enunciatiuæ non sunt, enunciare verum vel falsum: non
 quidem eo modo quo indicativus illud assertivè enunciat, ut
 tu non es contumax: Johannes non occidit: Titius est meus haeres,
 enunciare tamen verum & falsum suo modo, nempe prout adhiben-
 tur, & pro differentis consilio vel scopo, v.g. Titius meus haeres esto,
 non est sic verum ut illud: Titius est meus haeres, sed ita, ut testator
 vult, & differit: idem enim est, ac si diceret: Ego testator constituo
 Titium meum heredem, quod utiq; verum est. Sic quando lex Dei
 inquit: Ne furator: ne occidito, tum verè vult & mandat homini,
 ne furetur vel occidat. 2. ejusmodi orationes possunt fieri con-
 clusiones syllogismorum v.g. Si DEus prohibuit, tu non occidito.
 Sed DEus prohibuit. E. non occidito. Item, Si DEus est castus &
 sanctus, tu castitatem & sanctitatem colito. Sed DEus est castus &
 sanctus. E. tu castitatem & sanctitatem colito. Hæc ille.*

§. 11. Sed Resp. ad primum, negando antecedens, quod
 nempe possit dari enunciatio, quæ simul vera sit & falsa. Pro-
 bationem minoris quod attinet 1. dicimus, hanc propositio-
 nem: homo est lapis, non esse veram, sed ita falsam ut per poten-
 tiam divinam vera fieri nequeat. 2. falsum est, quod omne ens
 verum sit, ita v.g. non possum dicere: homo est verus, DEus est
 verus &c. Pro cuius uberiori explicatione hæc monendum,
 quod dupliciter possit aliquid à veritate denominari, vel sim-
 pliciter, & sine aliquo additamento; vel cum apposito. Priori
 modo sola enunciatio & conceptus intellectus (is scilicet qui
 dividit dividenda, aut cōjungit componenda) verus dicitur, v.g.
 dico: hæc propositio, homo est animal, est vera, non autem dicere
 possum: homo est verus. Posteriori modo omne ens à veritate
 denominari potest. Ita etsi non rectè dicam v. g. DEus est verus,
 rectè tamen dico: DEus est verum ens, hoc modo etiam falsa e-
 nunciatio, eo quod ens est, vera denominari potest, v.g. homo est
 lapis, est vera enunciatio, non tamen possum dicere, quod sit
 vera.

§. 12. Alterum quod attinet, difficultate non caret. Vide-
tur autem responderi posse; orationes, quas non enunciativas
vocant, si vim verborum spectes, easque in se consideres, ne-
que veras esse neque falsas. Nihil enim affirmant nihil ne-
gant: quî potest autem verum dicere vel falsum, qui nihil affir-
mat, nihil negat? Adhibentur tamen hæ enunciaciones ex usu
& consuetudine loquendi pro his, quæ aliquid affirmant vel ne-
gant, eaque propter veræ sunt vel falsæ, ut rectè *Sluterus* probat.
Ex quo tamen his orationibus definitionem enunciacionis cõ-
petere, nondum sequitur. Ponuntur enim saltim loco enun-
ciacionum, quibus non vi verborum, sed ex usu & consuetudi-
ne loquendi æquipollent. Illustramus hoc exemplo, v. g. hæc
enunciatio: *si cælum digito tetigeris, donabo tibi librum*, non
quidem vi verborum, ex usu tamen & consuetudine loquendi
æquipollet huic: *tibi librum non donabo*; propterea tamen illa
non statim categorica negativa est dicenda.

§. 13. Hæc de enunciacione in genere. Dividitur autem ea
in simplicem seu Categoricam, & compositam seu hypotheti-
cam; quam divisionem proponit etiam *Aristoteles l. de inter-
pret. c. 5. §. 4.*

§. 14. Antequam vero utriusque naturam explicemus,
pauca de his nominibus erunt monenda. Et (1.) quidem quod
attinet nomen enunciacionis *simplicis*, sciendum, quod quan-
tum ad præsens, possit aliquid simplex esse vel absolutè, vel re-
spectu certi generis rerum. Absolutè simplex definiente *B. Dn.*
Stahlio Tab. Met. XVI. est, quod nullo compositionis genere est
compositum, ut Deus. Simplex respectu certi generis rerum
est, quod non est compositum ex aliquibus sui generis. Priori
modo nulla propositio simplex est, quia in omni reperitur sub-
jectum & prædicatum. Datur tamen simplex in genere propo-
sitionum, cuius scil. partes componentes non sunt enuncia-
tiones.

§. 15. (2.) Quod attinet nomen *Categorica*, descendit non
à ca-

à ca Hegorizo, as, at, ut P. Hispanus docet; sed διὰ τὴν κατηγορίαν,
prædicare, enunciare, quia prædicatur in eâ aliquid de aliquo.
Mendoza quidem *disp. sum. 4. sect. 3.* contendit enunciationem
categoricam non reciprocari cum simplici, sed etiam copula-
tivas categoricas vocandas esse: usus tamen obtinuit, ut sim-
plex & categorica habeantur pro æquipollentibus.

§. 16. (3.) Quod attinet nomen *hypothetica* enunciationis,
descendit ab ὑποθεσις, positio: & dicitur hypothetica e-
nunciatio, quia non simpliciter, sed cum certa suppositione
seu hypothese aliquid pronunciat. Competit hoc nomen pro-
priè primæ conjunctæ speciei, quæ aliàs conditionalis vocatur;
sumitur tamen sæpissimè latius ita ut idem sit, quod conjuncta
seu composita enunciatio.

§. 17. Quomodo autem definiendæ sint simplex & con-
juncta, quamvis de eo Logici plerumque parùm sint solliciti,
non est expeditum & omni carens controversia. Et quidem
categorica inter alia definitur, quod sit ea, quæ *simpliciter ali-
quid affirmat vel negat*; *Composita*, quod sit ea, quæ *constat ex
pluribus enunciationibus simplicibus*, it. quod sit ea, quæ *constat ex
duabus categoricis* &c. Sed malè. Nam datur etiam categorica,
quæ non simpliciter, sed cum conditione affirmat; & hyp-
thetica, quæ non ex simplicibus, sed aliis conjunctis, nec tan-
tùm ex duabus, sed pluribus etiam enunciationibus constat:
quæ omnia latè deducta videre poteris *in Disp. de Syllog. hypo-
thet. §. 14. & in Disp. de Syl. disjunct. & copulat. §. 3. & seqq.*

§. 18. Fonseca *instit. Dial. l. 3. c. 3.* categoricam definit,
quod sit, quæ *unum de uno enunciat*. Aristoteles *1. prior. c. 1. §. 4.* ait,
quod sit ea, quæ *affirmat vel negat aliquid de aliquo*. Verùm &
hæ suos patiuntur manes. Videntur enim etiam competere
quibusdam conjunctis, v.g. si dico: *Si Petrus sentit, est animal*,
aliquid de aliquo affirmatur, nempe animal de Petro. Nec ob-
stat, quod id non fiat simpliciter, sed cum conditione. Siqui-
dem multæ etiam sunt categoricæ, quæ cum conditione ali-
quid

quid affirmant, ut dictum in §. *præc.* v. g. *Petrus est animal, si sentit. O homo est irrationalis, si est brutum.* Unde definitiones datæ si ita limitantur, erunt nimis angustæ, iisque quas jam adduximus, non competent; vel si non limitentur, erunt nimis latæ, ut antea dicebamus. Nos putamus categoricam definiri posse, quod sit enunciatio quæ constat immediatè ex subjecto & prædicato. Dicimus: *immediatè*, per quam voculam distinguitur categorica ab hypothetica. Quia enim ea constat ex aliis enunciationibus, ideo etiam constat subjecto & prædicato, sed non proximè & immediatè, categorica verò ex iis constat immediatè & tanquam principalibus sui partibus.

§. 19. Compositam definimus, quod sit enunciatio, quæ constat ex pluribus enunciationibus tanquam principalibus sui partibus per conjunctionem aliquam connexis.

§. 20. Genus ponimus *enunciationem*, utpote quæ de conjunctâ & simplici tanquam differentibus specie in quid prædicari potest. 2. addimus, *pluribus*; non *duabus*. 3. *enunciationibus*, non addimus: *simplicibus* propter ea, quæ §. 17. diximus, 4. *tanquam præcipuis partibus*. Quas particulas adjicimus propter simplices, quæ etiam possunt constare ex aliis enunciationibus. E. g. hæc simplex est: *Christus est animal si Christus est homo*, in eâ autem duas reperiri enunciationes negare nemo potest. Interim tamen alio modo ex iis constat categorica, alio modo hypothetica. Enunciationes enim sunt hypotheticæ partes præcipuæ, seu ex quibus immediatè componitur; quando verò in categoricâ ponuntur, non eæ, sed subjectum & prædicatum sunt ejus partes præcipuæ. B. Dn. Stahlus paulo aliis verbis hanc diversitatem explicabat. Dicebat in quodam *Collegio disputat. Logic.* Aliud esse plures enunciationes reperiri in enunciatione, aliud, eas in illâ reperiri ut enunciationes integræ. v. g. in hæc: *Homo est animal, si sentit*, reperuntur duæ enunciationes, sed non ut duæ enunciationes integræ, quia unius subjectum: *homo*, est etiam hujus subjectum, & prædicatū:

ani-

animal unā cum totā alterā hujus prædicatum est. Dicebat proinde, ad conjunctam non sufficere, ut in eā ponantur totæ enunciationes, sed requiri etiam, ut ponantur ibi tanquam enunciationes integræ. Diximus *s. per conjunctionem aliquam, connexis*. Quam quidem partem omittere potuissemus, addere tamen volumus, ut natura enunciationis compositæ melius intelligatur. Intelligimus autem per conjunctionem, eam quam grammatici conjunctionē vocant; qualis est *si, aut, &, &c.*

§. 21. Ex hiſce, quæ ſit natura enunciationis ſimplicis & compositæ, patet. Diximus autem ſupra, nullam enunciationem eſſe ſimpliciter ſimplicem, ſed omnem certo modo cōpositam & ex pluribus aggregatam: conſequens ergo eſt, ut de partibus tum ſimplicis, tum compositæ, ex quibus aggregatæ ſunt, diſpiciamus.

§. 22. Sunt autem in quāvis enunciatione duplices partes, una dicitur formalis, & reliquæ materiales. Materiales partes vocantur eæ, quæ in enunciatione per aliquod tertium conjunguntur ſeu copulantur.

§. 23. Harum enunciatio categorica duas habet, ſubjectum & prædicatum. Subjectum eſt id, de quo aliquid dicitur. Prædicatum eſt id, quod de aliquo dicitur, v. g. ſi dico: *homo eſt animal*; *homo* eſt ſubjectum, quia de eo dicitur, quod ſit animal, & *animal* eſt prædicatum, quia de homine dicitur. Advertendum autem quod *dicere* tam latè extendendum ſit in datis definitionibus, ut affirmationem & negationem ſub ſe comprehendat. Quod ſi tamen durum hoc tibi videatur, definitiones ita formes per nos licet: Subjectum eſt de quo aliquid affirmatur vel negatur. Prædicatū eſt quod de aliquo affirmatur vel negatur. Fecit hoc ipſum etiam *B. Dn. Stahlius* cū olim auditoribus ſuis Inſtitutiones Logicas dictaret, & in *not. ad comp. Horn. l. 2. §. 2.* quem vide. Subjectum autem appellatur propterea, quia ſub eſt prædicationi. Sicut enim in rebus phyſicis ſubjectum dicitur, quod ſubiacet accidentibus; ita Logicè

X

sub-

subiectum est, quod rei prædicatæ subiacet. Prædicatum verò nomen inde habet, quia res est, quæ prædicatur. Sunt hæc *Mendoza disp. sum. 1. s. 1. §. 2. & B. Dn. Slevogt. disp. de prædic. §. 5.*

§. 24. Prædicatum & subiectum non semper sunt simplices termini, sed sæpissimè pluribus constant vocibus, v. g. si dico: *arte & Marte clarus, ab omnibus est honorandus & magnificandus.* Suntque interdum ita complexa, ut quodammodo in iis etiam sit subiectum & prædicatum. Notatu digna hanc in rem habet *B. Dn. Stablius quest. log. part. 1. q. 18. §. 10. & 11. In subiecto quoque & prædicato potest dici esse quodammodo subiectum & prædicatum. In subiecto, ut si dicam: O. homo qui diligit, vel est diligens Deum, diligit etiam proximum, subiecti subiectum quodammodo est homo qui, prædicatum eius diligens Deum, quod per verbum est cum illo coniungitur. Quod vel inde videtur quâdam ratione perspici; quod sit tollas relativum, subiectum positæ enunciationis perfectæ est & integra enunciatio, ista sc. homo diligit Deum: interposito autem relativo adhuc quadantenus subiectum & prædicatum ibi est, nempe imperfectè, quia dictum pronomen facit, ut non sit oratio perfectæ. §. 11. Vox quodammodo, quam adhibuimus est $\delta\eta\lambda\omega\lambda\upsilon\delta\upsilon\nu\tau\grave{\alpha}\ \kappa\alpha\tau\grave{\alpha}\ \pi$, diminuens rationem, subiecti & prædicati. Non enim sunt simpliciter subiectum & prædicatum, sed secundum quid & imperfectè. &c. plura notabilia vide *ibid.**

§. 25. Ex quibus luce meridianâ clarius apparet, quantus error sit eorum, qui subiectum idem quod nomen & prædicatum idem quod verbum esse docent: quos inter si non est, non tamen longè ab iis abest *Flacius Log. Gen. l. 4. c. 2. & Crell. loc. cit.* Etenim nomen & verbum sunt dictiones simplices, prædicatum & subiectum possunt constare ex pluribus vocibus. Cui id quoque addimus, quod subiectum & prædicatum non nisi in enunciatione, nomen & verbum etiam extra eam reperiantur. Sæpè etiam fit, ut nomen fiat prædicatum & verbum in subiecto contineatur, ut est manifestum.

§. 26.

§. 26. Nec obest nobis, quod jam concessimus, nomen & verbum enunciationis partes esse. Ex hoc enim non licet colligere: ergo sunt eadem cum subjecto & prædicato: sicut v. g. de homine, qui constat corpore & animâ, rectè dico, quod partes ejus sint pes & caput; inde tamen non licet colligere: pedem esse corpus, & caput animam.

§. 27. Silentio etiam præterire non possumus, quod de prædicato & subjecto non judicandum sit ex pronunciatione, aut situ verborum, quasi sc. id subjectum sit, quod primo loco ponitur, & prædicatum; quod postremo: sed potius ex constructione. Quod enim constructione præcedit, ita ut de eo aliquid affirmetur vel negetur, est subjectum, & id quod de altero affirmatur vel negatur, prædicatum est, sive primo stet loco, sive ultimo. Ita v. g. si dico: *ardua est ad virtutem via*, *ardua* est prædicatum, & *via ad virtutem*, de quâ dicitur, quod ardua sit, etiam si ultimo loco ponatur, subjectum est. Hoc si quis non observaverit, ex hoc & simili sophismate se non expediet: *O. id sentit, quod est homo. Asinus sentit E. est homo.* Nam etiam hîc subjectum majoris posteriori & prædicatum priori loco ponitur. Unde syllogismus non in primâ, sed in secundâ ex puris affirmantibus concludit.

§. 28. Cave autem ne cum aliquibus in his talibus enunciationibus *subjectum loco prædicati positum esse* affirmes. Etenim, ut jam monstratum, nec subjectum nec prædicatum certum ac determinatum in enunciatione locum obtinet: quî ergo prædicatum loco subjecti, aut subjectum loco prædicati poni poterit?

§. 29. Coronidis loco duo adhuc lubet quærere 1. an articulus græcus semper notet propositionis subjectû? 2. an prædicatum semper sit subjecto latius, vel saltim æquale? Prius quod concernit *B. Dn. Scheiblerus part. 2. op. Log. c. 1. q. 1.* rectissimè respondet negando: & plura adducit ex Sacra S. inter alia, quod dicitur *Matth. V. 13. ὑμεῖς ἐστε τὸ ἅλας τῆς γῆς vos estis*

sal terra, & Luc. XXII. 19. τὸ ἐστὶ τὸ σῶμα μὲν hoc est corpus meum:
in quibus articulum subjectum non notare longè manifestissi-
mum est. Ad posteriorem verò quæstionem Vir laudatus re-
spondet affirmando: quâ tamen in parte ab eo dissentimus.
Etenim si dico: animal est homo, latius subjicitur & angustius
prædicatur. Negat quidem Vir B. id rectè dici: sed sine Philo-
sophorum suffragio. Præterquam enim quod hæc & similes
locutiones in Philosophorum scriptis frequenter occurrunt,
non potest reddi ratio cur falsæ sient.

§. 30. Hæc de partibus materialibus enunciationis cate-
goricæ! Hypotheticam verò quod attinet, de ejus partibus
melius & felicius agere non possumus, quam si pauca de ejus
speciebus præmittamus.

§. 31. Egimus autem de iis antehac in *diff. de Syllog. hypoth.*
de syllog. copulat. & disjunct. & in diff. de dilem. satis prolixè, &
quod multæ sint monstravimus, unde in præsentia ead. non re-
petemus, nec de omnibus agemus, sed tantùm de nobiliori-
bus, iisque quæ in syllogismo composito locum habent, con-
ditionali, disjunctiva & copulativa pauca afferemus.

§. 32. Conditionalis itaque, quæ alias hypothetica in spe-
cie dici solet, est quæ constat ex duabus enunciationibus tan-
quam principalibus sui partibus per particulam conditiona-
lem connexis. v. g. *Si Petrus est homo est animal.* Dicitur 1. *tan-*
quam principalibus sui partibus. Cùm enim enunciatio condi-
tionalis etiam possit constare ex enunciationibus conjunctis,
ideo etiam sæpè constat pluribus quam duabus enunciationi-
bus, sed non tot habet partes principales, sed saltim duas. v. g.
hæc: *Si id quod è longinquo accedit, est vel rationale vel irratio-*
nale, sequitur, quod id quod è longinquo accedit, sit vel homo vel
brutum; constat quidem pluribus enunciationibus, quam dua-
bus, habet tamen saltim duas principales partes, nempe 1. *id*
quod è longinquo accedit est vel rationale vel irrationale. 2. *id*
quod è longinquo accedit est vel homo vel brutum. 2. Dicitur: per
par-

particulam conditionalem; qualis est *si* & *nisi*. Notant autem autores, quod particula *nisi* sumatur vel 1. *exceptivè*, v. g. si dico: *nemo bonus est, nisi solus Deus*. 2. *illativè* s. conditionaliter, & æquivalet *quod si non*, v. g. si dico: *nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu non potest introire in regnum cælorum*. Priori modo non facit enunciationem conditionalem, sed tantum posteriori.

§. 33. Disjunctiva est, enunciatio composita constans duabus vel pluribus enunciationibus per particulam disjunctivam connexis, v. g. *Aut est dies, aut nox*. Copulativa est, quæ constat duabus vel pluribus enunciationibus per particulam copulativam connexis, v. g. *Et homo est & animal*.

§. 34. Quod itaque attinet conditionalem, ut diximus, partes ejus materiales duæ sunt, una vocatur *antecedens*, altera *consequens*. Antecedens est enunciatio, quæ supponitur, seu cum conditione effertur. Consequens, quæ consequitur. v. g. *si Petrus est homo, est animal*, *Petrus est homo* est antecedens, *Petrus est animal*, est consequens. Disjunctivæ verò & copulativæ materiales partes etiam sunt enunciationes, earum tamen non est certus numerus, nec proprio gaudent nomine, ut conditionalis partes, quarum una, ut diximus, antecedens, altera consequens vocari consuevit.

§. 35. Hæc de partibus enunciationum materialibus, nunc sequitur formalis, quæ alio nomine copula dicitur. Videtur autem commodè definiiri posse, quod sit vinculum enunciationis partium materialium. Sic v. g. si dico: *homo est animal*, *est* est copula, quia subjectum & prædicatum unit, grammaticè scilicet & conjungit. Dicitur pars formalis, non quod sit forma enunciationis; sed forma enunciationis est potius unio seu conjunctio prædicati cum subjecto. Dicitur autem pars formalis, quia est id quo mediante forma enunciationi inest. Pulchrè B. Dn. Scheiblerus c. l. n. 33. *In omnibus entibus aggregatis forma non est alia, quàm aggregatio materialium partium. Unde consequens est formam propositionis etiam non posse esse aliam,*

X 3.

quàm

quàm aggregationem subjecti & prædicati (NB. loquitur is tantum de enunciatione categoricâ, possunt tamen eadem ad enunciationem in genere facillè trahi) Atqui copula non est ipsa aggregatio vel copulatio, sed solum est aliquid, quo mediante ununtur partes propositionis. Et inde sequitur, officium vinculi respondere spiritui in corpore nostro, per quem est & conservatur unio inter animam & corpus. At ista non est forma animalis, nec copula enunciationis. Similium enim est eadem ratio. Hæc ille.

§. 36. Est autem copula duplex, principalis & minus principalis. Principalis connectit partes enunciationis præcipuas, & καὶ ἐξολω copula, item copula enunciationis vocari solet. Minus principalis connectit partis præcipuæ partes. Sic v.g. in hæc enunciatione: *Quoddam corpus est id quod non est animal*, subjectum est *corpus*, prædicatum: *id quod non est animal*; verbum ea connectens, copula principalis; id verò, quod in prædicato continetur, est copula minus principalis. Est autem notandum, quod copula enunciationis categoricæ sit verbum substantivum *sum* in solo & toto præsentis indicativi. Dicitur: 1. *in solo præsentis indicativi*. Excluduntur ergo reliqua tempora & reliqui modi, 2. *in toto præsentis*. Non enim solum verbum substantivum in tertiâ personâ est copula, sed etiam in reliquis singularis & pluralis numeri personis. In compositis verò principalis copula est aliqua conjunctio. v.g. si dico: *Si Petrus est homo, est animal*, copula principalis est particula *si*, verbum *est* autem est minus principalis, & ita in reliquis.

§. 37. Sæpissimè verò dubio caret, quæ sint præcipuæ aliqujus enunciationis partes, & proinde quæ ejus copula. Sic v.g. si dico: *Petrus est homo, Petrus est doctus & Paulus est albus*, quivis primo statim intuitu videt, illius partes esse terminos: *Petrus & homo*, verbum *est* autem esse copulam; alterius vero partes esse integras enunciationes, easque connectentem particulam copulativam, copulam principalem. At quærat non immeritò aliquis, quid de hæc sentiendum: *Petrus est coloratus,*

tus, si est albus? an partes eius sint termini: *Petrus, coloratus si est albus*, & proinde verbum *est* inter eos positum sit copula principalis; an verò partes sint hæ enunciationes: *Petrus est coloratus, Petrus est albus*, & particula *si* eius copula principalis?

§. 38. Quod attinet hoc dubiū, putamus dicendū esse, posse aliquem partes dictæ enunciationis principales pro lubitu cōstituere vel terminos vel integras propositiones, eamq; vel pro simplici vel pro composita habere. Similes enunciationes plures dantur, quas pro simplicibus & compositis pro lubitu habere potes. v. g. *Petrus est doctus aut indoctus. Petrus est albus & homo. &c.* quæ etiam est sententia B. Dn. Stahlī in *disp. quadam Anno 1641. habitā, cui titulus: De enunciatione conditionali SINGULARIA*, §. 16. cujus verba in *disp. de Syll. Disjunct.* §. 12. citavimus, quæ ut *& disp. de Syll. hypothet.* §. 14. videatur. Statuunt idem quoque *Fonseca instit. dial. l. 8. c. 7.* aliique complures. Non quidem totidem verbis hoc habent, eo ipso tamen innuunt, quod dicunt, voculam disjunctivam posse sumi vel *disjunctim*, seu ita, ut connectat tantum terminos propositionis; vel *disjunctivè*, seu ita, ut connectat integras enunciationes. Similiter particulam copulativam sumi posse vel *copulativim*, seu ita, ut conjungat nudos terminos, vel *copulativè* seu ita, ut connectat integras enunciationes. Et quando copulativa sumitur copulativè, & disjunctiva disjunctivè, dicunt efficere sensum divisum; si verò copulativa copulativim & disjunctiva disjunctim accipiatur, sensum compositum. V. g. si dico: *Quinq; sunt duo & tria*, hinc particulam *&* posse sumi copulativim, ut hoc totum: *duo & tria*, sit prædicatum; & tunc accipi enunciationem in sensu composito. Vel posse voculam *&* sumi copulativè, ut sensus enunciationis sit: *Quinq; sunt duo, & quinq; sunt tria*: & tunc accipi enunciationem in sensu diviso.

§. 39. Dicis: ex his sequi unam enunciationem sub diversis speciebus comprehendendi, quod est absurdissimum. Impossibile enim est, ut idem sit sub oppositis speciebus. Resp. ne-

gan-

gando quod hoc absurdum ex nostrâ doctrinâ sequatur. Enun-
ciatio enim, cujus diversæ constituuntur partes, quamvis sæ-
pissimè eadem maneant verba, nec ullum aliud addatur, non
simpliciter una manet. Unde etiam non rarò fit, ut aliqua
quatenus habetur pro simplici & in sensu composito accipi-
tur, vera sit, falsa autem si habeatur pro compositâ ac in sensu
diviso accipiatur. Exemplum habes in thesi præcedenti. Eo-
dem modo res habet cum hâc enunciatione: *aut dexter aut si-
nister oculus est necessarius ad videndum*. Si enim pro simplici
habeatur, subjectum est: *aut dexter aut sinister oculus*, & sensus
est, indeterminatè aliquem oculum, non determinatè sinistrum
aut dextrum, esse necessarium ad videndum: quod verissimū.
Impossibile enim est sine oculo videre. Quod si tamen capia-
tur in sensu diviso, qui hic est: *aut dexter oculus est necessarius ad
videndum, aut sinister est necessarius ad videndum*, tunc falsa est.
Neque enim sinister est necessarius ad videndum, cum eo eru-
to, oculo dextro videre possis; nec etiam dexter est necessa-
rius ad videndum, quia eo eruto, oculo sinistro videre possis.

§. 40. Ejusdem farinae sunt etiam hæ: *O. homo est doctus
aut indoctus, O. bellum est vel recuperatio, vel pœna, vel defensio*.
Quando enim habentur pro simplicibus, veræ sunt; quando
autem pro compositis, ut sensus hic sit: *O. homo est doctus, aut
O. homo est indoctus. O. bellum est recuperatio, vel O. bellum est
pœna, vel O. bellum est defensio*; sunt falsissimæ. Quare etiam has
duas enunciationses in *disp. de syll. disj. §. 7. & 8.* negavimus esse e-
nunciationses compositas, non ac si non possint haberi pro cõ-
positis. Hoc enim oppidò falsum est. Sed hæc est nostra mens,
quia hæc propositiones pro veris habentur, & verò si in sensu
diviso accipiantur, falsæ fiunt, ut jam patuit, ideo eas quamdiu
pro veris adhibentur, pro compositis habendas non esse.

§. 41. Ex quibus ita deductis, clarissimum est, etiam copu-
lam conjunctionalem sæpissimè copulam minus principalem
esse, eamque enunciationem, in quâ talis habetur, non statim
pro

pro compositâ habendam esse. Potest enim talis non rarò etiam pro simplici haberi, imò sæpè fit, ut aliqua enuntiatio habeat conjunctionem aliquam, ut tamen planè non possit pro cõpositâ venditari. Talis est v. g. hæc: *O. homo, qui si sentit est animal, habet facultatem videndi.* Item: *Qui si promittit, promissum servat, laudandus est.* Ubi particula *si* in subjectis habetur, ita ut hæc enunciationes nullo modo possint compositæ vocari. Quibus & hoc adjiciendum, si particula conditionalis habetur in subjecto, enunciationem vocari *simplicem de subjecto conditionali*; si in prædicato, *simplicem de prædicato conditionali*. Similiter si in subjecto enunciationis habetur particula disjunctiva vocatur *simplex de subjecto disjuncto*; si in prædicato, *simplex de prædicato disjuncto*. Si verò particula copulativa habetur in subjecto, vocatur *simplex de subjecto copulato*; si in prædicato; *simplex de prædicato copulato*. Videantur notæ ad Horn. l. 2. c. 9. B. Dn. Stahlii.

§. 42. Sed hîc non leve oritur dubium. B. Dn. Stahlius enim in *cit. disp.* §. 22. docet, in propositione majore syllogismi primæ figuræ particulam conditionalem non ad subjectum, sed ad prædicatum pertinere. Hinc non ita procedendum: *O. animal si est ratione præditum est homo. Asinus est animal si est animal ratione præditum E. est homo;* sed ita: *O. animal est homo, si est animal ratione præditum. Asinus est animal. E. est homo si est animal ratione præditum.* Ex his posset aliquis inferre: si in unâ propositione conditio ad prædicatum pertinet, E. etiam in aliis, & proinde non dari enunciationem de subjecto cõditionali.

§. 43. Verùm ad hoc dubium videtur respondendum esse per negationem consequentiæ. Duobus enim modis potest poni conditio in enunciatione 1. absolutè. 2. ita ut per pronomen relativum alicui termino adjungatur, sicut fit in hæc enunciatione: *O. quod si movetur, currit, habet pedes.* Quando B. Dn. Stahlius conditionem prædicato apponendam esse censet, non loquitur de quâvis conditione, sed quæ priori modo

Y in

in enunciatione habetur: nos verò dum conditionem subjecti partem esse posse diximus, de eâ quæ posteriori modo ponitur, sermonem fecimus.

§. 44. Antequam verò hinc abeamus monendus adhuc es, ne forsan si vel verbum *est* vel alias copulas plures in unâ reperias enunciatione, unam tantum principalem esse concludas. Sæpè enim fit, ut copula principalis repetatur in eâdem enunciatione, v. g. si dico: *Petrus vel est albus, vel est niger*, copula principalis *vel* repetitur. Idem fit in hâc enunciatione: *Petrus ambulat & ridet*, in quâ etiam copula principalis repetitur. Latet enim tum in verbo: *ambulat*, tum in verbo: *ridet*. Ut autem facilius videre possis, quæ copula in categoricâ principalis sit, nota regulam, quam tradidit olim B. Dn. *Stablinus in not. ad Dial. Dutrieu tract. 1. part. 1. art. 1. q. 2. Quodcunque verbum immediatè respondet pronomini relativo, illud non est copula enunciationis, nec eam continet, sed prædicati vel subjecti*, v. g. si dico: *quod non est homo, non est doctum*, tò est immediatè sequens relativum est copula minus principalis.

§. 45. Quibus paulò prolixius declaratis, patet quæ nostra de enunciationum partibus sit sententia. Nimirum in quâvis enunciatione præter copulam necessariò sunt partes aliquæ materiales, & quidem in categorica duo termini, subjectum & prædicatum; in compositis autem integræ enunciationes; quarum in conditionali duæ sunt, antecedens & consequens; in disjunctivâ & copulativâ non est certus numerus.

§. 46. Ea tamen non paucis, iisque gravissimis premitur difficultatibus, quas ordine discutiemus. I. *Crellius l. c.* negat, copulam esse partem enunciationis categoricæ necessariam, propterea, quod aliquando in eâ actu non ponatur. Nam v. g. si dico: *Petrus ambulat*, in hâc enunciatione non ponitur copula actu. II. Idem potest probari de conditionali: quia hæc conditionalis est: *magistro legente, pueri proficiunt*, copula tamen conjunctivæ non adest. III. Nec etiam in conditionali semper duas enunciationes reperiri, tum ex præcedente exem-

exemplo confirmari potest, tum ex hoc: *nisi hic esset à Deo, non
 posset facere quicquam.* Est enim hæc conditionalis enunciatio,
 non tamen constat ex enunciationibus, quia in eâ non reperi-
 tur verbum aliquod indicativi, quale tamen ad enunciationē
 categoricam omninò necessarium est. IV. Idem confirmari
 potest exinde, quia hæc enunciatio: *Si volo hunc manere, quid
 id ad te? Joh. ult. 23.* est conditionalis, non tamen constat ex
 duabus enunciationib⁹. hæc quidem oratio: *volò hunc manere,*
 est enunciatio, hæc autem non item: *quid id ad te?* V. si copula
 est pars à prædicato distincta. E. in quovis syllogismo erunt
 quatuor termini & ponetur aliquis termin⁹ ter in enunciatio-
 ne: quod fieri non debet. E. antecedens absurdum erit. VI. *Est*
 in multis enunciationibus significat existentiam, E. includit a-
 liquam partem prædicati. E. min⁹ rectè dicitur verbum est in
 categoricis esse copulam, cùm hæc sit à prædicato distincta.

§. 47. Sed quod primum attinet, dicimus in quâvis enun-
 ciatione, etiam eâ, quæ in probatione adducta est, copulam
 reperiri. Notandum verò, quod duobus modis in enunciatio-
 ne poni soleat I. *expressè* & *explicitè*, ita sc. ut sit vox à prædica-
 to distincta, v. g. *Petrus est homo.* 2. *implicitè*, seu ita, ut in ver-
 bo includatur, quod fit v. g. in hæc enunciatione: *Petrus am-
 bulat; τὸ ambulat* enim idem est, quod *est ambulans*, teste *Arist.*
5. Met. c. VII. & l. τὸ ἐῖ ἐμ. τ. 12. §. 2. Unde ut in his propositio-
 nibus, in quibus *explicitè* non habetur copula, *distinctè* appa-
 reat, & absolvatur voce à prædicato distinctâ, jubent autores
 resolvere verbum in suum participium & verbum substanti-
 vum *est*, docente & accuratissimè tradente *B. Dn. Stahljo Qu.*
Log. part. 1. q. 13. Quod si tamen verbum non habeat participi-
 um, possumus uti participio græco, docente eodem §. 7. v. g. si
 dico; *Luna illuminatur*, quia verbum *illuminatur* non habet
 participium, ita resolvi potest: *Luna est φωλιζωμένη.* Vel potest
 etiam participii loco ipsum verbum cum adjecto pronomine
 relativo retineri, ceu ex iis, quæ idem §. 11. & seqq. disputat,

colligi posse videtur, v. g. hæc: *Petrus dormivit*, ita potest resolvi: *Petrus est is qui dormivit*.

§. 48. Eadem responsio potest applicari ad II. sc. copulam in adductâ enunciatione poni implicitè, ut patet in resolutione, quia ista (*magistro legente, pueri proficiunt*) valet illam: *si magister legit, pueri proficiunt*, & tunc duæ categorica cum notâ hypotheticali expressè ponuntur; sunt verba *Coloniens. in ad P. Hisp. tract. 1. fol. 25.*

§. 49. Ad III. dicimus 1. hanc enunciationē: *magistro legente, pueri proficiunt*, non quidem explicitè antecedens & consequens, tamen implicitè habere, ut in §. *antec.* dictū. Neq; enim necessum est, ut enunciationis partes omnes explicitè ponantur, sicut etiam patet de prædicato, quod sæpè in enunciatione implicitè ponitur, quando sc. verbum continet simul copulā & prædicatum. 2. ad alteram propositionem respondent *Colon. c. l. quamvis partes adductæ enunciationis primò & per se non sint categorica, tamen benè reductivè, in quantum reducuntur ad duas indicativas.* Quam responsionem latius deducit *B. Dn. Stablius disp. cit.* cujus integra verba dabimus:

§. 12. Respondemus, compositas enunciationes componi ex aliis enunciationibus, quæ actu & explicitè sint enunciationes, vel potentiâ proximâ, ita, ut levi quoad modum verbi factâ mutatione, redactò nimirum conjunctivo ad indicativum, actu jam & simpliciter sint enunciationes, ut si has orationes imperfectas: *hic non esset à Deo, hic non potuisset facere quicquam*, convertas in has perfectas: *hic non est à Deo, hic non potuit facere quicquam.*

§. 13. Quod si existimaveris, prestare, illam expositionem in definitione exprimi, ita ut illa sic habeat: *enunciatio composita est, quæ ex aliis enunciationibus actu vel potestate constat, nulla à nobis tibi scribetur dica.* Hæc ille.

§. 50. Ad IV. dicimus, hanc orationem: *Si volo eum mæmere, quid id ad te?* si vim verborum spectes, neque veram, neque falsam & consequenter nec enunciationem esse, vera tamen

men est, quatenus hæc oratio: *quid id ad te*, ponitur loco huius: *id ad te non attinet*, vel similis, cui non quidem vi verborum, sed ex usu & consuetudine loquendi æquipollet. Unde mirum non est in hæc oratione, ut stat, non reperiri duas distinctas enunciationes. Rectè tamen dicitur ejus partes esse has: *ego volo hunc manere; id nihil ad te attinet*. Licet enim posterior non actu habeatur in enunciatione, tamen loco ejus ponitur, planèque cum eâ eundem sensum obtinet hæc oratio: *quid id ad te?*

§. 51. Ad V. respondet iterum B. Dn. Stablius in *Disp. de enunc. ejusq; aliquib. divisionibus* §. 11. & 12. verba sunt: *Quod copula non contineatur in predicato tanquam pars, firmissimum argumentum desumi potest à conversione propositionum. Hac enim cum nihil aliud sit, quàm subjecti in predicatum & predicati in subjectum mutatio, si copula esset pars predicati, & vero totum predicatum deberet fieri subjectum, etiam copula deberet unà cum predicato transsumi & poni loco subjecti, v. g. hæc propositio: homo est animal, sic deberet converti: est animal homo. Quæ omnia cum absurda sint, sequitur & illam opinionem esse talem, quæ dicit copulam esse partem predicati. Et post paulò: non qualibet propositionis partes sunt termini, sed tantum materiales. At copula non materialis sed formalis enunciationis pars est. Interim tamen copula rectè vocatur prædicatum quo, quia est id, quo interveniente aliquid prædicatur, ut habet idem q. 12. §. 24. seu quod eodem recidit, prædicatum formale cum *Colon. c. l. f. 13.**

§. 52. In VI. tangitur controversia de significatione verbi est in enunciationibus: ideo eam antequã ad argumentum respondeamus, eâ quã potis est, brevitate pertractabimus. Ante omnia verò tenendum est, quod duplex sit enunciatio, alia est *de est secundo adjacente*, s. de est secundi adjecti; alia *de est tertio adjacente*, seu est tertii adjecti. Illa dicitur, in quã solum verbum est prædicatur, v. g. *Deus est*: hæc, in quã præter verbum est aliquid aliud prædicatur, v. g. *Deus est homo*. Vocatur

aliās illa enuntiatio secundi, hæc tertii adjecti, v. g. à B. Dn. Stab-
lio q. 12. §. 1. Conimbr. l. de interp. c. 4. q. 2. artic. 4. sect. 3. aliis-
que, quamvis ut hæc obiter moneamus, hi termini ab aliqui-
bus aliter explicentur. Nam Johannes Lorinus introd. in Log.
Arist. part. 3. c. 3. sub enunciationibus tertii adjecti seu de tertio
adjacente comprehendit etiam eas, in quibus ad subjectum
additur verbum adjectivum, v. g. homo ambulat. Carolus F. d'
Abra de Raconis verò 2. part. log. tract. 1. §. 3. p. m. 277. & Fr. Eusta-
chius à Sancto Paulo 2. part. Dial. tract. 1. disp. 2. q. 3. pag. m. 114.
omnem illam vocant de secundo adjacente, in quâ verbum
vicem copulæ & prædicati gerit, v. g. homo est, Petrus studet.
De tertio vero adjacente illas vocant, in quibus prædicatum
mediante verbo est subjecto unitur, v. g. homo est animal. Et
putat illas Eustachius c. l. de secundo adjacente dici, quia præ-
dicatum secundo loco adjacet, immediatè post subjectum:
has vero de tertio adjacente vocari, quia in iis prædicatum ter-
tio loco, nempe post copulam & subjectum adjacet.

§. 53. Quod itaque attinet enunciationes de est secundi ad-
jecti, quamvis aliqui v. g. Conimbric. loc. cit. in iis ò est inter-
dum essentiam denotare putent, sumi tamen ἰσχυρισμῶς & e-
xistentiam significare, videtur esse longè manifestissimum, v. g.
homo est, idem est, quod: homo existit. In enunciationibus ve-
rò de est tertii adjecti res aliter habet. Sunt qui in iisdem non
solum copulam, sed præteream aliud quid, nempe partem
prædicati verbum importare doceant, quamvis hi non omnes
in omnibus conveniant, ut habet B. Dn. Stablius c. l. Verùm
hanc sententiam solidissimis & ferreis quibus utebatur argu-
mentis refutavit Vir B. d. l. quæ nolimus addere, cum quæsti-
ones ejus toti orbi notæ sint.

§. 54. Nos eundem sequimur hæc in controversiâ & B. Dn.
Slevogt. disp. de prædic. §. 10. & seqq. Scilicet verbum est in e-
nunciationib⁹ de est tertio adjacente sumi ἰσχυρισμῶς & signi-
ficare identitatem & unitatem prædicati cum subjecto, seu
præ-

prædicatum cum subjecto idem esse, prætereaque nihil, quod sit pars prædicati, sive essentia id esse dicatur, sive existentia, idque tum in necessariis, tum in contingentibus enunciationibus.

§. 55. Pro meliori hujus sententiæ intelligentiâ quædam movebimus dubia. I. Si *est* significat identitatem prædicati cum subjecto, hæc propositio: *homo est animal*, erit falsa. Consequens est absurdum. E. Major probatur, quia *est* in eâ positum significabit hominem & animal esse idem, quod tamen falsum, cum animal multò latius pateat quam homo. II. Sequitur etiam hanc propositionem esse veram: *homo est brutum*: quod tamen absurdum. Consequentia probatur: quia *homo* & *brutum* sunt unum quid, genere, si itaque *est* significaret identitatem, hoc loco significaret eadem esse, quæ eadem sunt: E. propositio hæc: *homo est brutum*, erit vera.

§. 56. Sed quod attinet prius, sciendum, quod non sit sensus, copulam significare subjectum & prædicatum esse *ἰσὸν ἀριθμῶν* seu planè idem, sed significatum prædicati esse idem numero cum significato subjecti. Est autem hæc terminorum identitas duplex *realis & rationis*. Identitas realis est inter ea, quorum significata sunt eadem à parte rei; talis est inter hominem & animal, utpote quorum significata realiter non differunt. Identitas rationis est inter ea, quorum significata sunt eadem nostro concipiendi modo; hæc est inter hominem & animal rationale, quorum significata ne ratione quidè differunt. Quod ut meliùs intelligatur monendū, quod *Zab. l. v. de visu c. 6. ex Scoto* adducit, scilicet distingvi rem à signo, non ac si signum res non sit (nam si res non esset, non posset esse signum) sed nihil aliud indicari, quam hoc, aliquid esse rem tantum & non signum, aliud esse & rem & signum. Idem ad præsens applicare possumus. Distingvitur scilicet identitas terminorum rationis à reali, non eo sensu, ac si identitas rationis non sit realis, hoc enim falsum. Quæcunque enim nostro concipiendi modo seu ratione eadem sunt, illa omninò realiter sunt eadem. Est proinde sensus, aliam identitatem esse realè tantum & non rationis simul; aliam verò ita realem, ut simul sit identitas rationis. Sed hæc obiter. Identitas realis iterum duplex est, vel *ratione suppositi*, vel *ratione formarum*. Illi termini significant idem ratione suppositi, vel si mavis, ratione subjecti singularis, quorum significata in eodem singulari conveniunt; v.g. *album* & *dulce*, quorum significata conveniunt

veniunt in lacte. Ratione formarum idem significant, quorū formalia significata à parte rei nō differunt. v.g. homo & animal: quorū significata formalia, humanitas & animalitas non differunt realiter. Adde *B. Slevogt c. l.* Ex quibus clarum est, inter hominem & animal esse identitatem, realem scil. ut diximus.

§. 56. Ad posterius dicimus, inter hominem & brutum est quidem identitas aliqua realis, non tamen talis, qualem *est* significat, nempe numerica, quia homo & brutum in nullo singulari conveniunt. Unde etiam hæc propositio vera non est, quia copula hominem & brutum in eodem singulari convenire, significat, quod tamen se ita non habet.

§. 57. Ex quibus patet quomodo intelligendum sit, quod copulam in enunciationibus de est tertio adjacente significare identitatem prædicati cum subiecto, diximus. Quod tamen non extendi debet ad eas propositiones, in quibus verbum *est* nihil in recto sequitur, v. g. si dico: *piscis est in aquâ.* Nā h. l. *est* significare existentiam, ultrò largimur.

§. 58. Cæterum ea quæ docuimus, ita se habere in affirmativis, nemo facile negaverit, qui *Bb.* nostrorum Philosophorum *scripta citata* legerit: an verò *est* etiam in negativis significet identitatem prædicati cum subiecto, dubium est. Sanè vero simile est, copulam inibi potius *diversitatem* prædicati à subiecto significare, cum non dicatur prædicatum idem esse cum subiecto, sed ab eo diversum. Sed vero id simile est, verum non est. Etenim semper eundem formamus conceptum de copula *est*, sive negatio addita fuerit, sive non. Accedit, quod si copula in negativis significaret diversitatem, tunc negatio accedens negaret prædicatum à subiecto diversum esse, quod tamen absurdum est. Negatio enim accedens, non negat prædicatum esse à subiecto diversum, sed negat id cum eo idem esse.

§. 59. Quod attinet rationem dubitandi, negamus consequentiam. In negativis quidem dicitur prædicatum diversum esse à subiecto, sed diversitatem eam non dicit copula, sed negatio cum copulâ.

§. 60. Ex quibus prolixius paulò explicatis ad arg. VI. Resp. Quando nos diximus copulam *est* esse partem à prædicato distinctam, locuti sumus de talibus propositionibus, in quibus verbum *est* aliquid in recto sequitur: & in hisce nunquam significat existentiam vel simile quid: In reliquis autem verbum *est* non est nuda copula, sed partem prædicati, vel totum etiam prædicatum in se continet. Ut proinde & in his copula & prædicatum distinctè appareant, resolvendum est hoc verbum in *est existens*, h. m. *Petrus est in templo, Petrus est existens in templo.* Multa quidem his addere possemus, sed charta & institutum nostrum id non permittit.

✽✽✽✽✽✽

*Ad Praestantiss. & Literatiss. Dn. Respondentem, Ph. & SS. Th. Cultorem
felicissimum, amicum suum certissimum,*

CLara legis Magni quondam vestigia Patris,
Inde tuam famam posthuma fama leget.

P R A E S E S.

CArmina quum reliqui pangant, mihi promere votum
Sufficiat: caeptus annue Jov. a piis.

Autor Dammann/ Brunovicensis.

Sunt, qui perpetuo luxus ac ocia laudant,
Indignumque scelus cum ratione colunt.
Sunt, quos nonnunquam delira amentia vexat,
Ut Musas fugiant, insidiisque premant.
Ast Tibi tantus amor Musarum crescit in horas,
Ut Logicas artes & sine nube legas.
Ergo quot stellas complectitur aetheris aula,
Tot voveo studiis caepa secunda tuis.

Bruno-Henr. Jordanus, Brunovic.

Bernunft die will heraus/ bemühet sich zu fallen/
Was die Vernunft-Kunst kan. Mein Werther steht vor allen/
Gibt seine Kunst an Tag/ den vollen Fleisses Muth.
Der wird Ihn bringen hin/ dort an der Sternen. Gluth.

Christoff Schaper.

Sponde tua facis officium, calcaribus ergo
Haud opus: Ingeniis ignavis sunt ea digna,
Virtutis te flammam amor mollitque laborem:
Hinc plerumque aliis grave, quod tibi suave videtur.
Perge ut caepisti & te premia digna manebunt.

Johannes Cörner, Brunsvigas L. L. Stud.

Aulum laudo tuum; audentem fortuna juvabit,
Eque tuo veniet fama labore Tibi.
Ne cures Momum, tantum qui carpere novit,
Non tamen utilitas, carpat ut ille, perit.
Aulu progredere hoc; sic digna labore brabea
Accipies; crescet sic tua fama. Vale.

Johannes Köpking, Neudorpiensis Saxo SS. Th. & Ph. Stud.

Qui serpentigenum cassa rationis abortum
Perplexumque sophos fatui sapientis, aperto

Extri-

*Extricare modo sapiendi novitiam usum,
Iste scit exacte, quid distent ara lupinis.*

Robertus Starman/ Herbedensis Gvestph.

Shie nich Söbus Sohn/ dem' he so günstig/
Dat he by kindliken Jahren werd künstig;
De da gar stietig den Kop in dat Bauck
Pleget tau legen/ un werd so fin klauck?
Ja recht; In Musen. Volck kommet tau hören/
Wat he von künstliken Saken wel köhren;
Ilet un lovet upt beste den Sliet/
Dem he ergeven is wesen alltiet.

ut platdütscher meiny upsettet van

S. B. B. D.

JOANNES PROBST,

на аваге.

PROBASNE NOTIS?

IGnotum notis, res est consueta, probare:

Hinc, ne sis fallax, per benè nota probas,

Joh. Christophorus Schönberg.

JOHANNES PROBSTIUS, BRUNOVICENSIS.

на авагауа.

SANUS! PRECIBUS NON VIS TIBI HONORES.

SAnus! quòd precibus non vis tibi solvat honores

Cynthius; aſt gnava ſedulitate petis.

Zacharias Ennichmann/ Tremonia-Gvestphalus.

GRatulor ex animo Tibi de conamine tanto:

Sedulus ut pergas, Frater amande, rogo.

Georgius Buchholz/ Wism. Meckelburgicus.

Ritè facis, LOGICOS quod tentas solvere nodos;

Nam sic informas TE simul atque alios.

Perge ut cæpisti: dabit hunc certatio finem,

Ut felix crescat nomen ubique tuum.

Johannes Burchardus Walbom, Leostei-
nensis Saxo.

Sic decus es Diva PROBSTI! palmare Minerva

Siperges, Phæbus premia larga dabit.

Johannes Siefert/ Magdeb. Saxo.

•••••



ALVENSLEBEN
T
173





B.I.G.

Farbkarte #13

TATIONUM
 GICARUM
 NDECIMA,
De
 CIATIONE
 GENERE,
 E SPECIEBUS
 RICA ET COM-
 OSITA,
Quam
 VOLENTE,
implisimo ac Spectatissimo
 PHILOSOPHICO,
 RESIDE
 OPHORO HEIN.
 ber/Vinariâ-Thuringo,
itorum examini
submitit
 Probst/ Brunsvigâ-Saxo.
l. 9 Februarii.
 antemeridianis. T 173
 JENÆ
 ANNIS NISII, ANNO
 M. DC. LVI

4

5

7

